VICIPÆDIA


Lingua Russica

Lingua Russica[1] (Russice русский язык, *russkij jazyk*) sive **Rossica**[2] et insuper **Russa** vel **Ruthenica**[3][4] est lingua Russorum, ex linguis Indoeuropeis orta, inter Slavicas numerata. E lingua Russica, Albaruthenica et Ucrainica constat familia Slavica orientalis.

Russica lingua circiter 160 decies centena milium hominum natalis est et divulgatissima Slavicarum. Publica facta est Russiae, Rutheniae Albae, Kazachstaniae et Chirgisiae et cum quinque aliis linguis Consociationis Nationum. Divulgata est in Russia et in aliis civitatibus, quae erant partes Unionis Sovieticae (ubi hac gentes ut sermone inter se utentur). Quod Russica lingua franca ultra propriam linguae regionem in usu venit, lingua mundana habetur.

Lingua Russica abecedario Cyrillico scribitur.

Lingua Russica **русский язык**	
IPA:	[ˈruskʲɪj jɪˈzɨk]
Taxinomia:	Linguae Indoeuropaeae (Linguae Baltoslavicae) Linguae Slavicae Linguae Slavicae Orientales Lingua Russica
Locutores:	260 000 000
Sigla:	1 ru, 2 rus, 3 rus
Status publicus	
Officialis	Russia, Ruthenia Alba, Kazachstania, Chirgisia
Privata	Russia, Ucraina, Ruthenia Alba, Kazachstania, Moldavia, Armenia, Israel, Lettonia, Estonia, Chirgisia et aliae
Litterae:	
Scriptura:	Cyrillica
Procuratio:	Academia Scientiarum Russica




Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Index

Historia

Lingua Russica genita est saeculis XIV et XV e lingua Slavica orientali, quae saeculis a VII usque ad XIV exsistebat, e qua lingua etiam linguae Ucrainica et Ruthenica Alba ortae sunt. Lingua communis ex dialectis circa Moscuam usitatis orta est. Lingua Slavica ecclesiastica tamen ut lingua litterarum usque ad saeculum XVII utebatur. Anno 1696, secundum Henricum Wilhelmum Ludolf, qui primus grammaticam Russicam quandam scripsit, "apud illos dicitur, loquendum est Russice et scribendum est Slavonice." Hodierna lingua Russica litteraria formata est saeculis XVIII et XIX.

Diffusio




Tabula distributionis linguae Russicae in mundo

Lingua Russica his diebus (status anni 2006) circiter 163 800 000 hominum sermone patrio loquuntur, quorum circiter 130 000 000 in Russia vivunt, 26 400 000 in Independentium Civitatum Foederatione (GUS) et in civitatibus Balticis, quae civitates ex Unione Sovietica ortae sunt. Circiter 7 400 000 hominum in civitatibus vivunt, in quas multi incolae Russiae et aliarum civitatum olim Unionis Sovieticae immigrant, imprimis in Germania, in aliis civitatibus Europaeae occidentalis, in Civitatibus Foederatis Americae et in Israel.[5]

Lingua publica est in Russia, Ruthenia Alba (una cum Ruthenica Alba), Kazachstania (ubi Cazachica est lingua publica), Chirgisia (ubi Chirgisica est lingua publica), et republica autonoma Crimaea, quae ad Ucrainam pertinet (una cum Ucrainica et Tatarica Crimaeana). In quibusdam circulis (область) Ucrainae orientalis est regionalis lingua publica, qui status autem disputatur. Etiam in Tadzikistania lingua Russica statum publicum habet.[6] Est etiam una linguarum publicarum in regionibus segregatis Transnistria (una cum Ucrainica et Moldavica), Alania Meridiana (una cum Ossetica) et Abascia (una cum Abasgica). Ibi et partis incolarum sermo patrius et lingua franca est.

Propterea sunt minoritates linguae Russicae in omnibus GUS-civitatibus et in regione Baltica nec non in multis civitatibus occidentalibus, in quas plurimi homines linguae Russicae emigraverunt. In Finnia lingua Russica (qua circiter 40 000 hominum, i.e. paene 1 centesima incolarum, loquuntur) maxima linguae minoritas est. In Germania, ubi plurimi extra pristinam Unionem Sovieticam homines vivunt, quibus lingua Russica est sermo patrius, Russica cum circiter 3 000 000 loquentium post Theodiscam (et ante Turcicam) numero loquentium secunda lingua est.[7] In Israele immigrantes linguae Russicae, qui sunt circiter 1 000 000 hominum), fere sextam incolarum partem efficiunt, numero loquentium Russica est tertia lingua post Hebraicam et Arabicam. In Civitatibus Foederatis Americae plus quam 700 000 hominum linguae Russicae vivunt,[8] quorum plus quam 200 000 in Novo Eboraco habitant, in Canada circiter 160 000,[9] sed in utraque civitate sunt multae minoritates maiores.

Lingua Russica etiam in scientiis, artibus, et technica diffusa est. Una cum iis, qui Russica lingua secunda utuntur, sunt fere 280 000 000 Russice loquentium.



Scienta linguae Russicae in Unione Europaea. Scientiae linguae Russicae in Europa orientali mediaque late diffusae sunt, sive propter pristinam hegemoniam Russicam sive propter minoritates linguae Russicae imprimis in regione Baltica habitantes.

Abecedarium

Abecedarium Russicum ex Cyrillicum est; post sanctum Cyrillum permultas mutationes passus est, antequam formam hodiernam accepit. Modus scribendi litteras reformatus est a Petro I annis 1708–1710. Ablatis nonnullis signis Cyrillicis antiquis et insertis quattuor litteris novis, sunt abecedario Russico nunc triginta tres litterae:

А а ***А а*** /a/	Б б ***Б б*** /b/, /bʲ/	В в ***В в*** /v/, /vʲ/	Г г ***Г г*** /g/, /gʲ/	Д д ***Д д*** /d/, /dʲ/	Е е ***Е е*** /je/, /ʲe/	Ё ё ***Ё ё*** /jo/, /ʲo/	Ж ж ***Ж ж*** /ʐ/	З з ***З з*** /z/, /zʲ/	И и ***И и*** /i/, /ʲi/	Й й ***Й й*** /j/
К к ***К к*** /k/, /kʲ/	Л л ***Л л*** /l/, /lʲ/	М м ***М м*** /m/, /mʲ/	Н н ***Н н*** /n/, /nʲ/	О о ***О о*** /o/	П п ***П п*** /p/, /pʲ/	Р р ***Р р*** /r/, /rʲ/	С с ***С с*** /s/, /sʲ/	Т т ***Т т*** /t/, /tʲ/	У у ***У у*** /u/	Ф ф ***Ф ф*** /f/, /fʲ/
Х х ***Х х*** /x/, /xʲ/	Ц ц ***Ц ц*** /ʦ/	Ч ч ***Ч ч*** /ʨ/	Ш ш ***Ш ш*** /ʂ/	Щ щ ***Щ щ*** /ɕː/	Ъ ъ ***Ъ ъ*** /-/	Ы ы ***Ы ы*** /ɨ/	Ь ь ***Ь ь*** /ʲ/	Э э ***Э э*** /ɛ/	Ю ю ***Ю ю*** /ju/, /ʲu/	Я я ***Я я*** /ja/, /ʲa/

Regulae orthographicae

- Post litteras **ж, ш** littera **ы** ab **и** substituitur.
- Post litteras **ч, щ** littera **ю** ab **у** substituitur et **я** ab **а**.

Phonetica et Phonologia

Linguae Russicae hodiernae normatae sunt 42 phonemata, quae in sex vocales et in 36 consonantes dividuntur. Magnus phonematum numerus ex linguarum Slavicarum proprietate ortus est, quod plurimae consonantes Russicae et durae et molles ("palatalizatae") pronuntiantur. Non autem sunt allophona, sed singula phonemata, cum quaeque pronuntiatus varietas significationem determinet. Nonnullis dialectis Russicis sunt phonemata propria.

Pronuntiatus vocalium ac consonantium Russicarum, quam in voce positionem obtineant, variat. Quoad vocales positio acuta et non acuta distinguitur. Exempli gratia "o" acuta [ɔ] sonat, "o" in positione non acuta autem [a] vel [ə]. Pronuntiatus multarum consonantium Russicarum a consonantibus sequentibus determinatur.

Longitudo vocalium in lingua Russica nec signifcationem verbi mutat nec quid ad recte pronuntiandum momenti est. Vocales acutae semi-longae pronuntiari solent. Vocales non acutae breves sunt et saepe etiam aliae qualitatis sunt: "O" non acuta "a" brevis sonat (sic dictum аканье); "e" aut "я" non acuta "i" similis est (иканье). Exempla: молоко (lac) /məlaˈkɔ/ пятнадцать (quindecim) /pʲitˈnatsɨtʲ/ земля (terra) /zʲimˈlʲa/. Et vocales duplices et duae vocales diversae se sequentes voces singulae pronuntiari solent. Exempti sunt diphthongi, qui cum littera "й" (и краткое = i brevis) formati sunt: ой (acuta), ай. Littera "e" (ie) ante consonantem palatalizatam vocalis conclusa fit [e]: кабинет (tablinum) /kabʲiˈnʲɛt/, sed в кабинете (in tablino) /fkabʲiˈnʲetʲɛ/ Alia exempla: университет (universitas), газета (diurnarium).

Vocales

Linguae Russicae in syllaba acuta sunt 6 monophthongi (ɨ autem saepe allophonum litterae "i" habetur).

Monophthongi linguae Russicae

	primores	medii	posteriores
conclusi	i	ɨ	u
medii	e		o
aperti		a	

In syllabis non acutis series media cum *e* et *o* non pronuntiatur, quod *e* aut cum *i* (sic plerumque) aut cum *a* (in exitibus) et *o* semper cum *a* in unum cadit. Inde forma adiectiva feminini generis (**-ая** scripta) et forma neutralis (**-oe** scripta) quoad sonum plerumque distingui non possunt. In scriptura videri non potest; sunt etiam dialecti, quae vocales acutas melius quam lingua normata distinguunt.

Consonantes

Linguae Russicae sunt 36 consonantes. 16 earum et palatalizatae et non palatalizatae pronuntiantur; phonemata /ts/, /tʲʃʲ/, /ʒ/ et /j/ singularia sunt.

Index sola phonemata non palatalizata demonstrat.

Consonantes linguae Russicae

	bilabiales	labio-dentales	alveolaris	post-alveolares	palatales	velares
occlusivae	p b		t d			k g
affricatae			ts	tʲʃʲ		
nasales	m		n			
vibrantes			r			
fricativae		f v	s z	ʃ ʒ		x
approximantes					j	
laterales			l			

Fons: SAMPA pro lingua Russica (Anglice) (http://www.phon.ucl.ac.uk/home/sampa/russian.htm)

Grammatica

Sicut Latine, nomina, pronomina et verba Russice declinantur.

Proprium linguae Russicae est praesertim systema verborum ubi aspectus ope vocabularii designatur nec declinationis. De productione vel correptione vocalium non judicato, accentus collocatio usu potius quam regulis discenda est, eo magis quod nonnunquam in casibus variis mutatur et regulis multis describitur.

Partes orationes

Numeratae linguae Russicae, sicut aliis linguis Indoeuropaeis, eaedem partes orationis sunt, quae Latinae.

Tamen :

- Russica substantiva divisa sunt in subspecies pro animatione ;
- Substantiva aliter declinantur atque adiectiva (Henricus Wilhelmus Ludolfus[10] dixit "Declinationes sunt quinque, primae quatuor sunt substantivorum, quinta adiectivorum").
- Russica verba divisa sunt in subspecies duas pro aspectu (imperfectivo aut perfectivo)[11].

Verba ob eam rem plerumque in paribus? apparent. Sunt quoque imperfectiva, quibus desunt perfectivum homologum, e.g. *сожале́ть* 'dolere', et perfectiva, quibus desunt imperfectivum homologum, e.g. *хлы́нуть* 'emicare'.

Exempla nonnullorum parum verborum:

verbum imperfectivum	verbum perfectivum	convertio
пока́зывать	показа́ть	'monstrare'
покупа́ть	купи́ть	'emere'
де́лать	сде́лать	'facere'

Declinationes

Nomina substantiva

Nominibus substantivis linguae Russicae accidunt:

- **tria genera**: masculinum, femininum, neutrum
- **duo numeri**: singularis et pluralis
- **sex casus**: nominativus, genetivus, dativus, instrumentalis, accusativus, praepositionalis
- **duae materiae**: animata, inanima
- **tres declinationes**

Generibus utuntur sicut nostris.

Ubi post numeros II, III et IV genitivo singulari utuntur in loco accusativi vel nominativi, vestigia numeri dualis videnda sunt.

Casus instrumentalis non est idem ac casus ablativus Latinus, qui ad Russicam linguam genetivo vel instrumentali praecipue convertitur.

Pluraliter, substantivorum accusativum animatorum in iisdem litteris ac genitivum desinunt at inanimatorum in iisdem ac nominativus (e.g. *вол*, *кошка*, *мышь*), et **inanima**, quorum accusativus pluralis coincidit cum nominativo plurali (e.g., *фильм*, *пирог*, *сад*, *земля*, *время*).

Sic singulariter nisi substantivum vel declinationis secundae est vel femininum et nominativus in -ь desinit e.g.

		praeses Obama	pater et mater
nominativus		президент Обама	отец и мать
accusativus		президента Обаму	отца и мать
genitivus		президента Обамы	отца и матери

Declinatio prima

Accentus plerumque pro casu non movet, sed aliquando apud nomina masculina cum uno syllaba, vel si prima syllaba in nominativo intonatur, accentus ad terminationem nominis movet, sicut demonstrant exempla *вол* et *пирог* Etiam sunt nomina, quorum terminationes tantum in plurali intonantur (exempli gratia, *сад*), sed iterum alius casus peculiaris est: aliquando terminatio solum in genetivo plurali intonatur usque ad praepositionalem pluralem (exempli gratia, *волк*). Ut sciamus an terminationes intonentur, opportet linguam Russicam bene cognoverimus. Regulae desunt, at in dictionariis magnis accenti ac pronunciationes speciales indicantur.

фильм 'pellicula cinematographica'; вол 'bos'; пирог 'crustulum'

casus		**singularis**	**pluralis**		**singularis**	**pluralis**		**singularis**	**pluralis**
nom		фи́льм	фи́льм**ы**		вол	вол**ы́**		пиро́г	пирог**и́**
acc		фи́льм	фи́льм**ы**		вол**а́**	вол**о́в**		пиро́г	пирог**и́**
gen		фи́льм**а**	фи́льм**ов**		вол**а́**	вол**о́в**		пирог**а́**	пирог**о́в**
dat		фи́льм**у**	фи́льм**ам**		вол**у́**	вол**а́м**		пирог**у́**	пирог**а́м**
ins		фи́льм**ом**	фи́льм**ами**		вол**о́м**	вол**а́ми**		пирог**о́м**	пирог**а́ми**
prae		(о) фи́льм**е**	(о) фи́льм**ах**		(о) вол**е́**	(о) вол**а́х**		(о) пирог**е́**	(о) пирог**а́х**

сад 'hortus'; волк 'lupus'

casus		**singularis**	**pluralis**		**singularis**	**pluralis**
nom		сад	сад**ы́**		волк	во́лк**и**
acc		сад	сад**ы́**		во́лк**а**	волк**о́в**
gen		са́д**а**	сад**о́в**		во́лк**а**	волк**о́в**
dat		са́д**у**	сад**а́м**		во́лк**у**	волк**а́м**
ins		са́д**ом**	сад**а́ми**		во́лк**ом**	волк**а́ми**
prae		о са́д**е**	о сад**а́х**		о во́лк**е**	о волк**а́х**

- *In casu praepositionali ante praepositiones **в** et **на** scribitur сад**у́**.

фестива́ль 'festa'; слова́рь 'dictionarium'

casus		singularis	pluralis		singularis	pluralis
nom		фестива́л**ь**	фестива́л**и**		слова́р**ь**	словар**и́**
acc		фестива́л**ь**	фестива́л**и**		слова́р**ь**	словар**и́**
gen		фестива́л**я**	фестива́л**ей**		словар**я́**	словар**е́й**
dat		фестива́л**ю**	фестива́л**ям**		словар**ю́**	словар**я́м**
ins		фестива́л**ем**	фестива́л**ями**		словар**ём**	словар**я́ми**
prae		о фестива́л**е**	о фестива́л**ях**		о словар**е́**	о словар**я́х**

Ea nomina eodem modo ac nomina masculina terminantia in **-ь** declinantur. Si vero terminationes eorum nominum intonantur, hoc in plurali accidit. Solum terminationes nonnullorum nominum terminantium in **-е́й** intonantur.

геро́й 'heros'; бой* 'pugna'; руче́й** 'flumen'

casus		singularis	pluralis		singularis	pluralis		singularis	pluralis
nom		геро́**й**	геро́**и**		бо**й**	бо**и́**		руч**е́й**	руч**ьи́**
acc		геро́**я**	геро́**и**		бо**й**	бо**и́**		руч**е́й**	руч**ьи́**
gen		геро́**я**	геро́**ев**		бо́**я**	бо**ёв**		руч**ья́**	руч**ьёв**
dat		геро́**ю**	геро́**ям**		бо́**ю**	бо**я́м**		руч**ью́**	руч**ья́м**
ins		геро́**ем**	геро́**ями**		бо́**ем**	бо**я́ми**		руч**ьём**	руч**ья́ми**
prae		о геро́**е**	о геро́**ях**		о бо́**е**	о бо**я́х**		о руч**ье́**	о руч**ья́х**

- *In praepositionali post praepositiones **в** et **на** praeter бо́**е** etiam бо**ю́** scribi potest.
- ** Nomina typi руче́й rara sunt: *мураве́й* 'formica', *солове́й* 'luscinia', *воробе́й* 'passer' etiam secundum hunc modum declinantur.

Declinatio secunda

земля 'terra', кошка 'felis'

casus		singularis	pluralis		singularis	pluralis
nom		земл**я́**	зе́мл**и**		ко́шк**а**	ко́шк**и**
acc		зе́мл**ю**	зе́мл**и**		ко́шк**у**	ко́шек
gen		земл**и́**	земе́ль		ко́шк**и**	ко́шек
dat		земл**е́**	зе́мл**ям**		ко́шк**е**	ко́шк**ам**
ins		земл**ёй** (земл**ёю**)	зе́мл**ями**		ко́шк**ой** (ко́шк**ою**)	ко́шк**ами**
prae		(о) земл**е́**	(о) зе́мл**ях**		(о) ко́шк**е**	(о) ко́шк**ах**

Declinatio tertia

время 'tempus', мышь 'mus'

casus		singularis	pluralis		singularis	pluralis
nom		вре́м**я**	времен**а́**		мышь	мы́ш**и**
acc		вре́м**я**	времен**а́**		мышь	мыш**е́й**
gen		вре́мен**и**	времён		мы́ш**и**	мыш**е́й**
dat		вре́мен**и**	времен**а́м**		мы́ш**и**	мыш**а́м**
ins		вре́мен**ем**	времен**а́ми**		мы́шь**ю**	мыш**а́ми**
prae		(о) вре́мен**и**	(о) времен**а́х**		(о) мы́ш**и**	(о) мыш**а́х**

Nomina adiectiva

Nominibus adiectivis linguae Russicae duo numeros, sex casus, duae animationes et in numero singulari tria genera accidunt. Sunt declinationes duae.

Pronomina

In lingua Russica sunt pronomina

- **personalia haud reflexiva**: tres personas, duos numeros, sex casus et (in persona tertia numeri singularis) tria genera;
- **personalium reflexivum**: quinque casus (nec nominativum);
- **possessiva primae secundaeque personae et reflexiva**: duas personas, tria genera, duos numeros et sex casus;
- **interrogativa-relativa** *кто* 'quis' et *что* 'quid': sex casus;
- **interrogativa-relativa** *какой* 'qualis' vel 'qui', *каковой* 'qualis', *который* 'qui' vel 'quotus', *чей* 'cuius': etiam duos numeros et tria genera in numero singulari;
- **interrogativum-relativum** *каков* 'qualis': tria genera (nec mutat pro casu);
- **demonstrativa**: duos numeros, sex casus, in numero singulari etiam tria genera
- **determinativa**: duos numeros, sex casus, in numero singulari etiam tria genera
- **negativa**: (ab praefixis significationis negativae "не" et "ни" ex pronominibus interrogativis formata): duos numeros, sex casus, in numero singulari etiam tria genera.

Reflexivis uti possunt russici locutores ad **omnes personas** (non solum ad tertiam ut latine):

- *Люблю **свою** жену* 'uxorem **meam** amo', *любишь **свою** жену* 'uxorem **tuam** amas', *любит **свою** жену* 'uxorem **suam** amat'
- Cf: *Люблю / любишь / любит **его** жену* 'uxorem eius (= amici, fratris, etc.) amo / amas / amat'.

Numeralia

Numeralia linguae Russicae sunt:

- **cardinalia**: quibus sex casus accidunt (numeralia *один* 'unus', *два* 'duo', et *оба* 'ambo' pro genere etiam mutant

- **ordinalia**: quibus tria genera et sex casus accidunt et qui modo nominum adiectivorum declinantur.

Verba

Categoriae grammaticales russorum verborum

Verbis imperfectivis atque perfectivis accidunt:

- **tres personae**[12]
- **duo numeri**: singularis et pluralis[12]
- **duo modi**: indicativus et imperativus et coniunctivus[13]
- **duo genera**: activum et passivum
- **tria tempora**: praesens (solum in aspectu imperfectivo), praeteritum (verborum aspectuum perfectivi et imperfectivi), futurum (simplex pro verbis aspectus perfectivi et compositum pro verbis aspectus imperfectivi)[14][15] seu, opinione alia, praesens-futurum (imperfectivum et perfectivum), praeteritum (imperfectivum et perfectivum) et futurum imperfectivum[16]

Praesens et futurum simplex (seu praesens-futurum imperfectivum et perfectivum[16]) pro persona et numero secundum duos coniugationes mutant[17].

Verba **coniugationis primae**

Persona		singularis	pluralis
Prima		**-у** aut **-ю**	**-ем**
Secunda		**-ешь**	**-ете**
Tertia		**-ет**	**-ут** aut **-ют**

Verba **coniugationis secundae**

Persona		singularis	pluralis
Prima		**-ю** aut **-у**	**-им**
Secunda		**-ишь**	**-ите**
Tertia		**-ит**	**-ят** aut **-ат**

Etiam sunt verba nonnulla, quae modo speciali declinantur.

In futuro composito (imperfectivo) solum verbum auxiliarium *быть* 'esse' declinatur.[17]

Verba temporis praeteriti pro persona non mutantur[17], sed pro numero et genere.[12]

Syntaxis

Voces poni solent ut subiectum sit primum, postea praedicatum, denique obiectum. Sed ordo vocum lingua Russica non tam refert, quam linguis quorum voces non declinantur.

Vocabularium

In lexico linguae Russicae, a Vladimiro Dahl saeculo undevicensimo comparato, sunt plus 200 milia vocabulorum, et *Lexicon linguae Russicae litterariae hodiernae* (Russice «Словарь современного русского литературного языка»), anno 1970 in lucem editum et septindecem volumina habens, 131 257 vocabula comprehendit.[18]. In *Lexicon magnum academicum linguae Russicae* (Russice «Большой академический словарь русского языка»), cuius volumen primum (e viginti exspectatis) anno 2005

publicatum est, circa 150 milia vocabulrum includenda sunt.[19] In *Lexico linguae Puškin* («Словарь языка Пушкина») sunt 24 milia vocabulorum.[18] Docti locutores circa ab quinque ad decem milia vocabulorum usitate adhibent.[18]

Dialecti

In Russiae parte Europaea tres regiones, quae dialectis differunt, distinguuntur: Russia septentrionalis, media et meridiana. Regiones praeterea in singulas dialectos dividuntur. Tamen dialecti linguae Russicae, etsi distantiae inter eas maximae sunt, paulum inter se differunt, ut ii, qui dialectis diversis utuntur, intellectu non impediantur.



Tabula diffusionem dialectarum Russicarum in regione primae formationis demonstrat.

Lingua Russica septentrionalis

Dialecti septentrionales a lacu Ladoga per Novogardiam Magnam et Iaroslaviam usque ad *Joškar-Ola* in boreo-orientem versus in usu sunt. Littera "o" distincte pronuntiatur etiam in syllaba non acuta (оканье – *okan'e*), "g" gutturalis et "t" (cum exitus est verbi) dura sonant.

- Dialecti Ladogae ac Tichvinae
- Dialecti Costromae
- Dialecti Vologdae
- Dialecti Onegae
- Dialecti Bielozerae

Lingua Russica media

Finis septentrionalis a Petropoli per Novogardiam Magnam et Ivanovo usque ad Novogardiam Inferiorem et Tscheboxaros, meridianus a Magnis Lukis per Moscuam usque ad Pensam. Haec regio proprietates et septentrionalium et meridianarum dialectorum ostendit. Ab occidente "o" non acuta "o" pronuntiatur, ab oriente "a" (аканье – *akan'e*).

- Dialecti Pscoviae
- Dialecti Novogardiae Magnae
- Dialecti Moscuae et viciniae eius
- Dialecti urbis *Egor'evsk* et viciniae eius
- Dialecti urbis *Temnikov* et viciniae eius
- Dialecti Volodimiriae et viciniae eius

Lingua Russica meridiana

A Magnis Lukis per Resaniam usque ad Tamboviam in meridiem versus. Hic "o" non acuta "a" pronuntiatur, littera "g" fricativa et "t" finalis mollis sonat.

- Dialectus Resaniae et locorum circa Tanaidem flumen

- Dialecti locis circa flumina Danaprim et Duinam
- Dialectus regionum Kurschae, Orelis et Bielogrodae

Notae

1. "lingua Russica": C.G. Anton, *De lingua Russica ex eadem cum Samscrdamica matre orientali prognata* (http://zs.thulb.uni-jena.de/receive/jportal_jparticle_00043139); *Status Ecclesiae in Russia* (http://www.krotov.info/history/20/iz_istori/fedor_3.htm); M. Lomonosov, Notae ad responsiones Mulleri (http://feb-web.ru/feb/lomonos/texts/lo0/lo6/lo6-0422.htm); C. G. Sjöstedt, *Observationes in doctrinam grammaticorum de formis verborum linguae russicae* (http://www.worldcat.org/search?q=no:%22058335600%22); Ephemeris: *Ucraina turbata.* (http://ephemeris.alcuinus.net/archi2004/nuntii/eph18/index.php)
2. "lingua rossica" versio interretialis (pdf) apud www.biologiezentrum.at (http://www.biologiezentrum.at/pdf_frei_remote/ANNA_75_0209-0222.pdf); "Русский Rossicus; Russicus; +русское издание editio rossica; + русское описание descriptio rossica; + русский перевод versio rossica" *Lexicon Russico-Latinum.* (http://notan.h1.ru/ruslat/16_litera.html)
3. "русский Russicus, -a, -um; Russus, -a, -um; Ruthenicus, -a, -um"; А. В. Подосинов et А. М. Белов, *Lingua Latina* (Русско-латинский словарь, 2000), 274.
4. Sunt etiam appellationes obsoletae, sicut *lingua Moscovitica*, *lingua Rhutenica* (Conradus Gesnerus, *Mithridates: de differentiis linguarum* (1555) textus (http://gallica.bnf.fr/ark:/12148/bpt6k938671) ff. 60v-61r.; Athanasius Kircherus, *Turris Babel, sive Archontologia* (Amstelodami: Jansson-Waesberge, 1679) textus (https://archive.org/details/turrisbabelsivea00kirc/) pp. 215-216), et **lingua Sarmatica** (Clément Desessard, *Lingua Latina sine molestia*).
5. Как это будет по-русски? (http://expert.ru/countries/2006/09/russkiy_yazyk_v_blizhayshem_zarubezhe/) (Quomodo Russice dicitur?)]
6. apud LENTA.ru (http://lenta.ru/news/2011/06/09/russian/)
7. Vide Bernhard Brehmer: *Sprechen Sie Qwelja? Formen und Folgen russisch-deutscher Zweisprachigkeit in Deutschland.* In: Tanja Anstatt (ed.): *Mehrsprachigkeit bei Kindern und Erwachsenen* (Tubingae, 2007), 163–185, ibi: 166f; commentatio innititur ad Relatio migratoria 2005 officii migrationis profugorumque (http://www.bmi.bund.de/Internet/Content/Common/Anlagen/Broschueren/2006/Migrationsbericht__2005,templateId=raw,property=publicationFile.pdf/Migrationsbericht_2005.pdf) (PDF).
8. Vide US-Census anni 2000 (http://www.census.gov/prod/2003pubs/c2kbr-29.pdf). (PDF)
9. Vide Census Canadiensis anni 2001 (http://www12.statcan.ca/english/census01/products/standard/themes/RetrieveProductTable.cfm?Temporal=2001&PID=55539&APATH=11&GID=431515&METH=1&PTYPE=55440&THEME=41&FOCUS=0&AID=0&PLACENAME=0&PROVINCE=0&SEARCH=0&GC=99&GK=NA&VID=0&VNAMEE=&VNAMEF=&FL=0&RL=4&FREE=0).
10. In primam unquam scriptam Russicam grammaticam
11. Русский язык. Вид глагола (http://traktat.com/language/book/glagol/vidg.php)
12. Русский язык. Лицо, число и род глагола (http://traktat.com/language/book/glagol/lrcg.php)
13. Русский язык. Наклонение (http://traktat.com/language/book/glagol/nag.php)
14. Русский язык. Время глагола (http://www.traktat.com/language/book/glagol/vrg.php)
15. Русская грамматика. Глагол. Категория времени (http://rusgram.narod.ru/1490-1515.html)
16. Beard R. *An On-line Russian Reference Grammar. The Principles of Verbal Aspect* (http://www.alphadictionary.com/rusgrammar/aspect.html)
17. Русский язык. Спряжение (http://traktat.com/language/book/glagol/spg.php)
18. Карпухин С. Сколько слов в русском языке? (http://nauka.relis.ru/27/0411/27411048.htm) **(Russice)**
19. Эпштейн М. Русский язык в свете творческой филологии разыскания (http://magazines.russ.ru/znamia/2006/1/ep13.html) **(Russice)**

Fontes

- Языкознание: Большой энциклопедический словарь/Гл. ред. В.Н. Ярцева. 2-е изд. - М.: Большая Российская энциклопедия, 1998.-685 с.: ил. ISBN 5-85270-307-9 (БРЭ)
- Ожегов С.И., Шведова Н.Ю. Толковый словарь русского языка: 80000 слов и фразеологических выражений/Российская академия наук. Институт русского языка им. В.В. Виноградова. - 4-е изд., дополненное. - М.: Азбуковник, 1999. - 944 с. ISBN 5-89285-003-X
- Большая Советская энциклопедия. 3-е изд. (http://web.archive.org/web/20041220141128/http://www.cultinfo.ru/fulltext/1/001/008/130/index.htm)
- Russian language
- Русский язык

Nexus externi

- G. Geitlin, *Observationes circa linguam Russicam nonnullae* (http://books.google.ru/books?id=CIQUAAAAQAAJ&printsec=frontcover&dq=inauthor:%22Gabriel+Geitlin%22&hl=ru&sa=X&ei=BQuiUdPCC4Ku4QSZ0IHABg&ved=0CDUQ6AEwAQ#v=onepage&q&f=false)
- Colloquia Russico-Latina (http://linguaeterna.com/ru/coll.php)
- Vocabularium Latino-Russicum magnum (http://www.linguaeterna.com/vocabula/)
- Lexicon Russico-Latinum (http://linguaeterna.com/ru/lex.html)
- Rusicorum maledictorum glossarium latine conversum (http://www.russki-mat.net/lat.html)

Linguae Slavicae	
Linguae Slavicae Orientales	Lingua Novogardiensis antiqua • Lingua Slavica orientalis antiqua • Lingua Russica • Lingua Ruthenica antiqua • Lingua Ruthenica Alba • Lingua Polesica • Lingua Ucrainica • Lingua Russinica (Lingua Carpato-russinica • Lingua Russinica Croatiae et Banati)
Linguae Slavicae Occidentales	Lingua Polonica • Lingua Cassubica • Lingua Polabica • Lingua Slovincica • Lingua Pomerania • Linguae Sorabicae • Lingua Bohemica • Lingua Iudaeo-Slavica • Lingua Lachica • Lingua Slovacica (Slovaca)
Linguae Slavicae Meridianae	Lingua Slavonica antiqua • Lingua Slavica ecclesiastica • Lingua Bulgarica (Lingua Bulgarica Banatus • Lingua Bulgarica Musulmanorum) • Lingua Macedonica moderna • Lingua Bosnica • Lingua Croatica (Lingua Croatica Burgenlandia) • Lingua Slavica Molensis • Lingua Montenigrinica • Lingua Serbica • Lingua Slovena • Lingua Vandalica Slavica